



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

EVangelista Lucas initio Incarna-
 tionem ejus his verbis exprimit. In
 „ mense autem sexto missus est Ange-
 „ lus Gabriel à Deo in civitatem Ga-
 „ lileæ, cui nomen Nazareth, ad
 „ Virginem desponsatam Viro, cui
 „ nomen erat Joseph, de domo David,
 „ & nomen Virginis Maria, & ingressus
 „ ad eam dixit: Ave gratia plena,
 „ Dominus tecum; benedicta tu in
 „ mulieribus. Quæ cum audisset, tur-
 „ bata est in sermone ejus, & cogita-
 „ vit, qualis esset ista Salutatio: Et
 „ ait Angelus ei: Ne timeas Maria,
 „ invenisti enim gratiam apud Deum.
 „ Ecce concipies in utero, & paries
 „ Filium, & vocabis nomen ejus JE-
 „ SUM. Hic erit magnus, & Filius Al-
 „ tissimi vocabitur: & dabit illi Domi-
 „ nus Deus sedem David Patris sui, &
 „ regnabit in domo Jacob in æternum;
 „ & regni ejus non erit finis. Dixit
 „ autem Maria ad Angelum: Quomo-
 „ do fiet istud, quoniam virum non
 „ cognosco? Et respondens Angelus,
 „ dixit ei: Spiritus Sanctus superve-
 „ niet in te & virtus Altissimi obum-

„brabit tibi: Ideoque & quod nasce-
 „tur ex te, Sanctum, vocabitur Fi-
 „lius Dei. Et ecce Elizabeth cognata
 „tua & ipsa concepit Filium in sene-
 „ctute sua, & hic mensis sextus est
 „illi, quæ vocatur sterilis; quia non
 „erit impossibile apud Deum omne
 „Verbum. Dixit autem Maria: Ecce
 „Ancilla Domini; fiat mihi secundum
 „verbum tuum.

Post pronuntiatum illud verbum,
 quo Sancta Virgo Maria credens An-
 gelo Gabriel, præbuit consensum
 suum ad Incarnationem Verbi Dei,
 illicò per Dei virtutem, apud quem
 non est impossibile omne Verbum,
 ipsum Verbum quod erat in principio
 ab Æterno illud Verbum, quod erat
 apud Deum in sinu Patris, Verbum
 quod erat Deus; ipsum Verbum per
 quod facta sunt omnia, quæ facta sunt:
 Illud unicum Patris Dei Verbum,
 Caro factum est in utero Virginis, ex
 sola ipsius substantia, Dei Spiritu gravi-
 data, & sic Virgo in Æternum per-
 manens, Verbum Dei unigenitum Pa-
 tris Filium, consubstantialem Patri,
 concepit in utero, & facta est Mater

Dei, Mater admirabilis, Virgo Ma-
 ter, gaudia Matris habens cum Virgi-
 nitatis honore; in quo nec primam si-
 milem habuit, nec est habitura se-
 quentem: ut sicuti est unus solus Deus
 trinus; unus solus Christus J E S U S
 Deus-Homo; sic una sola Virgo Ma-
 ter Dei, super omnes Matres Benedi-
 cta, super omnes Virgines sapiens, su-
 per omnes omnino puras Creaturas
 Sancta & Gloriosa, solo Deo infe-
 rior. O verè Beatam Virginem Ma-
 trem, quæ Angelo Dei credidisti, &
 uni Deo Virginitatem prima vovisti!
 Tu totum corpus tuum Sacro-Sanctum
 & semper Immaculatam animam ab
 initio viarum tuarum in ipso principio
 creationis suæ sanctæ, ab omni origi-
 nali labe præservatam, Deo, uni, tri-
 no, consecrasti in Æternum. Ideò
 omnes tui adoratores in spiritu & veri-
 tate, ô Divina Trinitas, infinitas ti-
 bi gratias agunt mecum; quia hanc
 semper Immaculatam Virginem Ma-
 riam, in Dei Matrem elegisti; & om-
 nibus prætulisti, ac super omne quod
 Deus non est exaltasti. Ipsa est primo-
 genita Patris Æterni in ordine gratiæ

& gloriæ; ipsa est vera Mater Filii Dei unigeniti sinus sui & uteri virginalis; ipsa est Sponsa semper Immaculata Spiritus Sancti: ipsa est Sanctuarium animatum semper mundum Sanctissimæ Triadis: ipsa est Regina Cœli & terræ, Regina Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum, Regina Sanctorum omnium: Regina Mater Regis Regum, Regis gloriæ, Regis Dei, Salvatoris nostri Dei Hominis JESU-CHRISTI; unigeniti Filii ventris ejus Sacro-Sancti. Surrexerunt Filii tui ô Mater cunctorum viventium, Mater Divinæ gratiæ, & Beatissimam te prædicaverunt. Quisquis ergo te ô semper Immaculata, semper Virgo, semper Sancta, ac Benedicta Maria, verè Deiparam, veram Dei Genitricem, non confitetur à divinitate excidit: Sancta Maria Virgo Dei genitrix, verè Mater Dei, monstra te esse Matrem omnium qui invocant nomen tuum in Spiritu & veritate. Gaude Maria Virgo quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo; succurre om-

nibus fidelibus tuis , contere omnes inimicos Nominis Christiani : quæ in Conceptione tota Immaculata , tota charitate ignita , Draconis caput contrivisti ; & quæ Deum - Hominem concepisti , peperisti , virgineo tuo lacte aluisti , & pro totius mundi salute , eundem ; Deo uni , trino , in Circumcisione imponendo illi nomen JESU , in Templo , & in Calvario , obtulisti in holocaustum , ut per virtutem Filii tui primogeniti esses Mater cunctorum viventium ; & sicut per unam mulierem , & per unum virum , Adamum & Evam totum genus humanum corruptum fuerat : sic per JESUM & MARIAM omnia restaurentur cum magno fœnore gratiarum , Deo uni , trino , gratias , honor , Benedictio & gloria ab omni creatura. Amen.

